



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An votum obliget. tit. 132.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Christum, concordant, etsi in alijs plerisque articulis & sacramentis discordent: idèd nulli negatur dicere sectariam. Subindè, nunquàm tale coniugium prosperatur aut benè succedit propter perpetuam discordiam & litem. Eccles. 25. Vir & mulier bene sentientes, Deo placent.

Et quoniam sathanas non quiescit excitare iniquas & discordias, potiùs dissuadendum est tale coniugium, quam consulendum: facit enim discordia vitam omni genere peccatorum coinquinatam. Idèd & statutum Ecclesiæ est, 28. q. Non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia vel filias dant, sed potiùs accipere, si tamen profitentur se futuros Christianos & catholicos &c. Accipere tamen potest, inquit, si profitentur se futuros catholicos, autem periculosum est, & contra statutum Ecclesiæ &c. spes tamen & fiducia, vt trahatur alter coniugium ad fidem catholicam, excusat inquantum potest, si hoc promissum est, & non sequitur, respondeat Deo, &c.

AN VOTVM OBLIGET.
TITVLVS CXXXII.



PRIMò, scriptura multa loquitur & sepè de voto emisso, & concludit, quòd homo teneatur hoc seruare quòd promissit. Deut. 23. dicitur: Cũ votũ voueris Deo tuo, non tarderis reddere, &c. Eccles. 5. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei stulta & infidelis promissio. Igitur quòd cumque voueris, redde. Multo melius est non vouere quàm post votum promissa non reddere, & Dauid Psal. 75. Vouete & reddite Domino &c.

Secundò, vota media sunt, quibus expeditius seruantur præcepta, promouent obedientiam Dei & prælatorum: similiter vitant concupiscentiam alieni

alieni thori & adulterij. Sic furtum, auaritiã, ysurã. Item hæc tria, Castitas, paupertas, obedientia, media sunt, per quã nos Dei præcepta expeditius seruamus & per quã Deus nobis distribuit gratiam: non meretur ipsa salutem, sed promerita salus nobis distribuitur ex gratia propter Christum per illa, Matt. 19. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, &c.

Tertio inquires: Vouendi consuetudo est contra libertatem Euangelicam. Absit, alioqui & votũ Baptismi, in quo omnes Deo vouemus abdicare pōpas Sathanæ, est contra libertatem. Similiter & votum matrimonij, similiter iuramentum sanctum Magistrati. Cur hæc non seruantur in Christianismo libere sine voto? Inquires: votum sanctum homini, obligat, non autem factum Deo. Respondeo, vbi hoc docet scriptura? Scriptura docet, votum Deo factum obligare, vti Deuter. 23. Vidue quas iubet Paulus vitare, ad Timot. 5. quæ fregerunt primam fidem, cui vouerunt? Christo, an hominibus? nonnè & Christo & Ecclesiã? sed tamen quia irritam fecerunt primam fidem, habent damnationẽ, inquit Apostolus. Nonnè & Christus dicit Matth. 5. Sit sermo tuus, Est est, Non nõ? quis hic liberabit fugitiuos monachos? &c. Scriptura? ostende. Ecclesia? absit. Papa catholice Ecclesie? Minimè sed papa sectarum concedit, sicut & Sathan concedit licentiã adulterandi, furandi, &c.

Quarto inquires: scriptura nullum iubet vouere. Illo. Nullum etiam iubet vouere in baptismo, aut in copulatione matrimonij, attamen si quis sua sponte vouerit, tenetur ad redditionem. At dicunt: Non est possibile obseruare vota, id est, castitatẽ, paupertatẽ per omnia sicut debent &c. quãdo nec Christi & Dei præcepta obseruare possumus. Respondeo: Phil. 1. Omnia possum in eo, qui me confortat. Est enim Christus finis legis ad iustitiam omni credenti, Romano. Ergo & votorum est finis ad iustitiam, ergo ex fide

fide vota & præcepta seruare nõ est impossibile, Credi-
denti omnia sunt possibilis. Mar. 9. &c. Iugum enim
meum suaue, & onus meum leue, Matt. 11.

Summa, carnis libertas reijcit obseruantiam vo-
torum & præceptorũ, id quod prohibet maxime Ap-
stolus ad Galat. 5. Vocati estis in libertatem, non vt
liberi sic simus, vt omnem obedientiam, præcepta, vo-
tum securi abijciamus, sed ne nos damnare possit, si
crediderimus in Christum. Euangelium igitur non
absoluit à præceptis & votis, sed fiduciam tollit
latis ab illis, & transfert in Christum, &c.

AN RELIGIONEM PROFES-

sus, possit vxorari legitime.

TITVLVS CXXXIII.



Postolus Hebr. 13. inquit, quod coniu-
giũ debet esse honorabile: subinde, tho-
rus immaculatus. Honorabile autem
tunc est, quando personæ quæ contra-
hunt, nullum habent impedimentum.

Primò, ambo liberi, nullo voto alteri obstricti. Ideo
licet Herodes & Herodias erant coniuncti, quasi con-
iuges cohabitantes, Mar. 6. tamen audiunt Ioannem
Baptistam, Non licet tibi habere vxorem fratris tu-
id est, aliud habet votum Herodias, &c. Etiam tunc
est honorabile coniugium, quando est publico Eccle-
siæ catholicæ consensu approbatum. Non igitur co-
habitatio viri & mulieris, neque filiorum educatio
facit matrimonium. Hoc etiam adulteri & fornicia-
rij faciunt, quos Deus condemnat, Hebræo 13. Igitur
hoc est verum matrimonium, quod etiam suam con-
firmationem habet ab Ecclesia catholica. Quoniam
ergo professus religionem non habet legitimum re-
stimonium Ecclesiæ, ideo hoc matrimoniũ illorum
non est honorabile neque verum.

Secun-